





12  
189

DE  
SERVITVTE PASCENDI AD AGRORVM  
PRAESERTIM DESERTORVM CVLTV-  
RAM V UTILITER REGVNDA

---

DISSERTATIO

QVAM

P R A E S I D E

D. CHRISTOPHORO CAROLO  
S T V E B E L

DIE VIII. OCTOBRIS CICLOCCXCI.

P U B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

FRIDERICVS SAMVEL KAEMPFFE  
STREHLA - MISNICVS.

---

VITEMBERGAE,

LITTERIS TZSCHIEDRICHIL.



V I R O  
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO

IOANNI IACOBO EBERTO

PHILOSOPHIAE DOCTORI, MATHESEOS IN ACADEMIA VITE-  
BERGENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, SOCIETATIS  
ELECTORALIS OECONOMICAE LIPSIENSIS SOCIO

PATRONO OMNI PIETATIS ET REVERENTIAE  
CVLTV PROSEQVENDO

LIBELLVM HVNC ACADEMICVM SVMMA  
OBSERVANTIA

D. D. D.

A V C T O R.



*Instituti ratiō.*

**S**icut plurimae seruitutes sola possessione usque rei alienae haud negato sunt constitutae, ita saepissime pascendi ius praescriptione est acquisitum. Etenim praeteritis proxime saeculis fuerunt multi incolae, qui, vexati bello aliis calamitatibus excarnificati, praedia sua aut deserent sponte, aut iisdem pellerentur. Qua comoda occasione re vtiendi aliena tum adducebantur eorum vicini, quibus forte benignior fauebat fors, ut in agros deuastatos possessoribus destitutos pecora sua pastum agerent. Neque tamen hic modus adquirendi iuris pascendi ab omni controvērsia est alienus. Nam reuersis multo post fundi dominis et agrorum, in quibus vicinorum armenta pascere a longo inde tempore consueuerunt, culturam molientibus, acres moueri solent lites. Dominus fundi naturali agris suis vtiendi fruendique libertate nititur, ad praescriptiōnem vero prouocat dominans, sibique non solum ius pascendi, quando hoc agrorum cultura patitur, afferit, sed fine discrimine opportuni temporis pecora in agris pabulari et ira dominum a fundi quoque cultura plane prohibere cupit. Alia est causa, quare nostra quidem aerate hac de seruitute quaestio oriatur saepissime. Cum enim FRIDERICVS AVGVSTVS, serenissimus elector, pater patriae, subditorum saluti semper studiosissimus, agrorum cultores in vniuersum omnes admonuisset, et, pro insigni in Saxones clementia, praemitis adeo propositis incitasset, ut in agriculturae incrementum pabulo, praeferrim vero trifolio pratensi colendo, operarentur; multi vero prudentiae in oeconomia laude praestantes viri,

in primis Schubardus de Kleefeld, nec non Riemius, variis in libris rusticis emolumenta e trifolii cultu in ipsos redundatura docuisent: factum est, ut coloni passim meliorem agriculturae rationem molirentur, trifoliumque fererent; sed operam suam haud raro perdidereunt. Saepissime enim pagorum domini et autumnali et vernali tempore oves et pecora in agros, trifolio confitos, pastum egerunt, et sic spem coloni frustarunt, perhibentes, ob seruituem pascendi ex praescriptione sibi competenter, hoc iuris esse. Quae-  
stio igitur hic oritur, quantum huic praescriptioni tribuendum, et quae sit vis seruitutis pascendi hoc modo acquisitae, si discep-  
tur, virum hac seruitute domini ius fundo suo pro arbitrio ad  
culturam viendi et fruendi, simul extinguitur. Atque satis dignum  
hoc mihi visum est caput, quod per hanc scribendi occasionem  
paululum disquiratur accuratius. Enim vero, si fides habenda est  
meritissimo Canzlero,<sup>a)</sup> supersunt in Saxonie quingeni trigente et  
septem terrae steriles bello tricennali prorsus deaestatae. Quae,  
quare tandem factum sit, ut ne nostra aetate aratro subigantur, cum  
superiori tempore cultae omnes fuerint, saepe sumus mirati, sed  
huius rei causam multis in locis sciscientibus est responsum, no-  
vum earum cultum seruitutibus pascendi impediri. Haec opinio,  
quamvis sit peruersa, multis tamen rei rusticae scriptoribus occa-  
sionem dedit legibus nostris, alias quidem agriculturam optime iu-  
vantibus, id exprobrandi, quod seruitutibus pascendi, publicae  
pesti utilitatis, cum magno rusticationis detimento, nimis patro-  
cinentur. Communis fere est ille error inter oeconomos nostros,  
et vii nos opinamur, non sine aliquo damno ciuitatis inualuit.  
Nam, nisi formidine huius iuris pascendi saepe exterrefacti tam  
multi incolae desisterent a meliore agrorum cultura, dum, operam  
suam pastu alterius perdi posse, arbitrantur, non est dubium, quin  
agrorum redditus maxime augeri possent, ideoque et plures homines  
vili negotio occuparentur et haberent, quo in patria viuerent. Sa-  
xonia ante bellum tricennale tertia parte maiorem hominum multi-  
<sup>a)</sup> vid. Tableau historique de l'Electorat de Saxe p. 29.

tudinem complexa esse fertur, b) quam nunc habet. Quod si verum est, de quo tamen vix licet dubitare, etiam damnofae seruitutis pascendi extensio, et restricta inde cultura agri inter impedimenta connumerari debent, quare hominum copia nondum in eum creuerit numerum, quem patria et proper coeli temperiem et terrae fertilitatem ferre potest. Sed leges ab hac iniuria vindicari posse, nobis est persuasum. Quantopere doctorum virorum opiniones ea de re discrepant, nos quidem non fugit. Quae quidem eorum discrepantia dubium me in eligendo huius libelli argumento iam potuisse confirmare, cum exponenti ab utraque parte eruditorum argumenta largam atque admodum viilem praebat differendi copiam. Sed nihilominus a consilio me exigua, qua lictorum magni nominis auctoritatibz derogare iisque contradicere viderer, temeritas auocasset, nisi cogitatio, hic non rem omnibus probatam, sed admodum controversam esse proponendam, arque de hac sententiam omnibus partibus haud absolutam, sed iuuenili ingenio satis accommodatam expectari, omnem metum ac timorem extirpasset. Satis profecto haberem, si contingeret, vt viri docti hoc argumentum et sua attentione non prorsus indignum et reipublicae viile existimarent. Persequendas vero tantum ducimus seruitutes praescriptione acquistas, existimantes, ambitum earum, quae conuentione constitutae sunt, singulis in causis magis e verborum vi potestateque, quibus vii sunt pacientes, diiudicari debere. In tractanda autem ipsa re, placuit, vt certum seruaremus ordinem, primum seruitutis pascendi dare notionem et indagare porissimum discrimen iuris pascendi affirmatiui et negatiui. Quanam deinde sententia cum seruitutis virtusque inde maxime consentanea nobis videatur, eam ei afferre, et denique dubia, quae ab aduersa parte proposita sunt, remouere haud incongruum erit.

b) vid. Leonhardi Erdbeſchr. iste Abt. §. 3.

CAP. I.

C A P. V I.  
Dé notione seruitutis pascendi eiusque discrimine.

§. I.

*Quid in vniuersum sit ius pascendi.*

Summa disputationis nostrae redit huc, vt quaeratur pri-  
mum: virum seruitute pascendi in agris incultis praescriptione  
acquisita, priuetur dominus iure fundo seruiente vtendi, nec ne;  
vrum itaque liceat agrum rursus offringere eoque hac ratione  
frui, quamvis usus ille passioni in eo constituta detrimenti quid  
afferat, an dominum, quominus sementes denuo faciat, vici-  
nus dominans possit prohibere? Deinde quaeritur: num serui-  
tus hac ratione acquisita in agris certo tantum frumentorum ge-  
nere adhuc constis, efficiat, vt dominans fundi dominum im-  
pedire possit, quominus agrum aliis colat fructibus? Prius vero,  
quam hanc aggrediamur causam, ipsius seruitutis pascendi notio  
erit constituenda. Cum autem nihil fere in legibus inueniatur de  
hac seruitute, praeter hoc unum, quod ab Ulpiano inter rusticas  
relata sit, c) e seruitutum analogia tantum eius naturam cognoscere  
debemus. Quemadmodum itaque omnis seruitus complectitur ius  
in re aliena, sic quoque pascendi ius his poterit comprehendendi ver-  
bis, vt dicatur facultas in fundo alieno propria dominantis pecora  
pabulandi. Necessario enim restringenda videatur haec seruitus ad  
propria animalia eius, cui est constituta, quoniam illa ius reale d)  
est, er intuitu praedii tantum debetur. Quin etiam iis tantum pe-  
coribus aditum ad pascua patere, aiunt, e) quae e pabulo et herbis  
in fundo dominante natis, hiberno tempore ali possunt. Neque  
est, quod reprehendar quis ICros seruitutem hanc tam arte coer-  
centes, cum omnis seruitus ob odium, quod e libertatis priuatione  
sentitur, magis restringi quam extendi debeat.

§. II.

c) L. I. §. 1. ff. de S. P. R.

d) vid. Leyf. I. G. lib. 3. c. 10. §. 18.

e) vid. Oec. Forens. Berl. 1775. Band. I. Haupft. t. §. 20.

S. II.

*Quomodo differat seruitus pascendi affirmativa a negativa.*

Illud autem ius pascendi ita potest constitui, vt dominans vel habeat tantum in agris vacuis pascendi potestatem, vel ius consequatur prohibendi quodlibet domini in fundo seruiente factum, quod passioni constitutae aduersetur. Illam, seruiturem pascendi affirmatiuam appellant, f) hanc vero negatiuam nomine insigniunt. Quamvis quidem neminem fore putemus, cui non statim satis con fieret, quae sit seruitutis pascendi virtusque natura, iuuabit tamen, cum totius rei cardo in earum notione vertatur, ideoque, vt a se probe distinguantur, opus sit, a definitione ordiri. Ex notione enim ipsa, in quo different, parebit. Neque recedo a communione opinione, si seruitutem pascendi affirmatiuam omne ius continere possem, quo fundi dominus pati deberet, vt dominans, dum agri aperti sunt, in eius fundo pascat. Negatiuam vero voco ius, quo seruientis praediti possessor in agro suo in utilitatem dominantis committere aliquid, vel non facere cogitur. Nam omne, quod affirmatiuam et negatiuam seruitutem intercedit discri men g) in eo later, vt in illa solum locum habeat patientia, qua dominus, vt aliis in re sua ius aliquod exerceat, permittit. Neque tamen habet hoc, vt dominus libero vsu rei suae cadat et priuetur. Itaque cum in passione consistat ea utilitas, cuius percipiendae et praedio seruiente ius habet dominans, recte tantum postulat pabulandi copiam, si agri sunt vacui et ad pastum opportuni. Longe enim abest ab huius seruitutis natura, neque passioni secundum eam locus conceditur, si agricultura a domino ibi suscep ta pabulationem non permittit, quamiam vsus seruientis in re sua potior habetur ratio h) iure dominantis.

f) vid. Hommel. Rhaps. Opf. 33.

g) L. 15. ff. de seruit.

h) vid. Leyf. I. G. lib. 3. c. 10. §. 33.

tis. Negativa vero servitute dominus adigitur, ut abstineat ab exercitio eius iuris, quo se abdicavit, idque omittat, licet ex dominio atque naturali libertate proficiscatur.

§. III.

*De discrimine, quod intuitu praescriptionis inter servitutem affirmatiuam et negatiuam obtinet.*

Cum vero potissimum pendeat e praescriptionis ratione iudicium, vitrum affirmatiuam tantum aliquis adeps sit servitutem, an negativa sit constituta, quibus in rebus utraque differat, si acquirendi hunc modum respicias, quoque indagemus, necesse est. Iure quidem vetere, *i)* dum vigebat lex Scribonia, ne villa servitus sola praescriptione acquireretur, cautum fuisse videtur. *k)* Verum tamen, ex quo haec lex Iustiniani Constitutionibus prorsus *l)* abrogata est dataque potestas, servitutes longi temporis possessione constituendi, magnam inualuisse discrepantiam inter servitutis affirmativa et negativa praescriptionem. Docet enim iam ratio, possessionem, quae est fundamentum omnis praescriptionis, debere nisi aliquo facto, quod fecerit exercitii illius iuris initium, quodque solum infert inter praescriptionem utramque discrepantiam. Affirmativa enim servitutis possessio incipit, quamprimum aliquis ius exerceat in re aliena; negativa vero exercitium, quippe qua rei praescribitur e mero domini arbitrio pendent, ne cogitari quidem potest, nisi ille prius eiusmodi factum voluntarium suscepit atque ita occasionem quasi possessionis dederit. Hanc deinde rem arbitrariam, si quominus exequatur dominus, quisquam impedit et

*i)* Historiam usurpcionis e iure R. persecutus est Iac. Rauius in principiis universae doctrinæ de praescriptionibus §. 66. in Schol.

*k)* L. 4. §. 29. ff. de usurp. et usurp.

*l)* L. vnic. C. de usurp. transform. L. 10. pr. ff. si seruit. vind. L. 26. ff. de aqua et aqua pluv.

si hic cedit vetanti, tunc demum incipit possessio negatiuae seruitatis. <sup>m)</sup> Quare sola prohibitio esse potest initium quasi possessionis iuris illius, qua rebus merae facultatis praescribitur. Nullus igitur dubito, quin ille seruitutem pascendi affirmatiuam consecutus fuerit, qui paut pecora sua per tempus lege definitum in agro alieno. Solo enim pastionis exercitio dominans possessionem illius iuris est adeptus; quae, si reliquis ad praecriptionem requisitis <sup>n)</sup> est munita, sufficit ad ius secundum huius seruitutis indolem, quam essentiam vocant, constituendum. Verum enim vero, cum seruitus pascendi negatiua hoc efficiat, ut dominus in fundo suo aliquid, quod libertate naturali nititur, non faciat, prohibitione huius rei opus est et acquiescentia, ut possessio constituatur. Hoc quoque sufficenter leges nostrae comprobant. Etenim auctore Constantino <sup>o)</sup> imperatore, cum suae quisque rei sit moderator et arbiter, arbitrii autem iura non videntur <sup>p)</sup> amitti negetur, eum, qui alterum a fundi sui vsu excludere cupit, prohibendi ius allegare oportet. Demonstreret igitur, qui seruitute pascendi negatiua vult vti, <sup>q)</sup> se suscipienti agriculturam fuisse impedimento, eamque intercessionem tantum apud seruientem valuisse, ut prohibitus semel posthac per integrum praecriptionis tempus neque reperierit hunc actum, neque faltum ius suum apud iudicem persecutus fuerit. Ita quidem praescriptione respicit ad prohibitionem, atque efficit, ut is, qui in aliena prohibitione

B 2

bitione

<sup>m)</sup> vid. Praej. quod Wernh. P. 3. Obs. 81. habet. Obwohl einem jeden, seines Rechts sich zu brauchen oder dasselbe zu unterlassen frey steht, daumenhero auch die seruitutes negatiuae nicht von der Zeit an, da man etwas unterlassen, sondern da es von dem Gegenheile untersagt worden und man bey dem geschehenen Verbaßt acquiesciret, verjähre werden. conf. id. auct. P. 2. Obs. 375. et Hommel. Rhaps. Obs. 33.

<sup>n)</sup> de requisitis praecriptionis communibus, vid. §. 4. Diss. de boni fide in praefc. et vñsc. necessaria, quae sibi praefidio Illustris Klugelii ab Vlichio habita est et defensa 1781.

<sup>o)</sup> L. 21. C. mand.

<sup>p)</sup> L. 2. ff. de vit. publ.

<sup>q)</sup> vid. Carpz. P. II. Const. 4. def. 13.

bitione acquieuerat, in posterum quoque facto ei contrario quolibet se abdicare cogatur.

## C A P. II.

Seruitus pascendi affirmativa non impedit liberum agrotum seruientium, quoad culturam, vsum.

## §. I.

*Hoc primum fuit ex indeole seruitutis pascendi affirmatiuae.*

Si verum est, quod demonstrauimus supra, fundi dominum ob ius pascendi affirmatiuum tantum partem eius vilitatis, quae e passione percipiatur, dominanti concedere debere, nullo autem modo iure priuari, imo ne hoc quidem restriktum esse, arando et colendo libere agro suo vrendi et fruendi, nescimus, quid impediat, quominus vel agri deserit denuo offringantur, vel iam culti fructibus adhuc ignitis conseruantur, nam ad vacuos tantum agros adstrictum est hoc ius pascendi. Neque dominans habet, r) quod in agris aperiis dominum simul pascentem repellat, quamvis solus in possessione iuris pascendi fuerit. Sed possit forte quaeri: num certum tempus sit constitutum, quo agri pecorum pastui inferuire atque ideo

r) vid. Leyf. Medit. ad ff. Spec. CVIII. med. 4. Weil Kraft der natürlichen Freyheit einem jeden Eigenthums-Herrn auf seinem Guthe Schäferey anzurichten und einen Schafstall zu bauen, nach den gemeinen Rechten frey steht, so mag dem Kläger nicht schaden, daß Beklagte ihr Schäferey - exercitium von langer Zeit her dargerban, indem allbier nicht die possessione iuris pascendi, als welche den Beklagten gerne zugestanden wird, sondern die possessione iuris prohibendi et excludendi auctorem, der Streit ist, davon Beklagte keinu einzigen actum anzuführen vermögen, gestalt Beklagte kein dergleichen ius auch durch Ablauf noch längerer Zeit acquiriren können, wenn sie nicht erweisen, daß sie den Kläger oder seine Vorfahren, als selbige einmal ein Recht exercieren wollen, daran gebündert und diese darauf acquiesciret.

ideo coloni eos vacuos ac incultos debeat relinquere? Leges, quae dirimant hanc causam, nullas habemus. Sola igitur analogia iuris in hac quaestione enucleanda niti debemus et in rationibus e natura seruitutum repetitis confidentes, causam nostram conformare. Atque primum respicere debemus ad fundorum indolem, in quibus haec seruitus est constituta. Etenim si ager neque versus aratro, neque seminatus vnguam fuit, sed potius antiquitus a domino vicinusque ad pasturam quasi destinatus et vernacula: *Huchtung* appellatur, nullum est dubium, quin ille in eo perpetuum nullisque temporis limitibus circumscriptum habeat ius pascendi, qui perpetuo et sine temporis discrimine in pasturis fuerit possessione. Eiusmodi enim terram seruituribus obnoxiam inuito dominante proscindere non licet, quoniam talis cultura secundum leges nostras<sup>1)</sup> mutationem inuolueret seruitibus pascendi contrariam.

Longe vero aliter sentendum est de ambitu iuris pascendi in fundis, qui agrorum iure habentur, ex eorumque natura et indole, quippe qui seminibus ferendis destinati, tempore consuetoarentur necesse est. Quorum in censu non soluna eas terras habendas puto, quae nostra aetate vertuntur aratro, sed etiam omnes, quae semel iam cultae fuerunt, licet postea aliquamdiu inculctae fuerint atque steriles. Proper solam enim mutationem fundus agrorum iure privari potest; intermissa vero ad tempus cultura, nisi usus et destinatio contraria accedit, nulla dici potest soli mutatio. Qui igitur agri, cum toto anno consti esse nequeant, sed, messe facta, sint vacui atque inseruant tunc plerumque pastui, satis iudicant tempus passioni commodum, quando scilicet fruges ex iis sunt collectae. Sed alia mouetur hac occasione quaestio, num scilicet dominus ab agris, in quibus alter seruitur iure pecora sua pascit, trifolio confitis, greges quoque defendere queat? Hoc nos optimo iure confirmare audemus. Positum enim est in arbitrio cuiuslibet praedii possessoris, quibus velit conferre frumentis frugumque generibus<sup>2)</sup> agrum suum,

B 3

<sup>1)</sup> Constit. Elest. P. II. Constit. 41.

<sup>2)</sup> Quemadmodum Illustris Wiesbadensis in Observat. iuris Rom. et Saxon. Spec.

suum, modo vii bonum se gerat ruricolam. Quem vero fugiat, quantopere herbarum pabularium sationes nostra aeratae a prudentissimis oeconomis commendentur? Donec igitur trifolio aut alio pabuli genere, quod perennat, agri sunt constiti, dominans in iis et autumnali et vernali tempore iure pascendi carer, quoniam e pastu maximum illae fruges capiunt damnum. Neque dominans tantam patitur iacturam, si a pastu agrorum trifolio consitorum abstinere debet, ut sententia, quam defendimus, ideo iniquitatis reple arguitur, ut potius prudentissimi oeconomi sponte ab hac pastione desisterint, quin idem fecerint passim, qui praedia domania conduxerunt.<sup>u)</sup> In aruis igitur seruitute pascendi affirmatiua debet abstinere dominans, quamprimum ipse dominus aliquid culturae causa suscipit,<sup>x)</sup> quod simul cum pastione consistere nequit.

Eadem quoque regula observanda videtur circa ius pascendi in pratis constitutum, ut itaque, quam primum graminum incremento officiat pabulatio, a pratis quoque pecora defendantur. Haec enim limitatio inest naturae seruitutis pascendi affirmatiuae, quam supra exposuimus, quare etiam in pratis impascendi libido hoc modo est coercenda. Cum vero in iis fructus proferat natura et plerumque nulla praecedat ars et cultus, qui, vii in agris sit, clausum hoc tempus indicaret, termini, quando a pratis arceri greges possint de-

beant.

Spec. IX. Obsf. 2. Witeb. 1778. ad totam rem nostram optima exhibet principia, sic eius auctoritate satis tui hic quoque acquiescamus.

- <sup>u)</sup> Audiamus optime meritum de subditis suis Heunium praefectum Dobriliensem his de se profidentem: *Meine Schafe sollen auch der Untertanen Kleefelder schonen; und wenn abgünstige und in der Finsterniß der Landwirtschaft fortwandelnde Mitunterthanen durch Landes-berrliche Befehle werden abgehalten werden, mit ihrem Viehe und diebischen Händen den Kleebau ihrer Nachbarn zu verbindern, dann wird derselbe vermehrt und der Wohlstand der Einwohner hergestellt werden.* vid. eius libellum über Vererbungen und Vererbpaechtungen p. 82.
- <sup>x)</sup> Sic quoque iudicatum legimus apud Hommeliū in Obsf. 34. *Dieweil Klägerin auf ein ius prohibendi denen Beklagten die Sömmierung ihrer Felder zu wehren nicht geklaget, so hat ihr Suchen nicht statt.*

beantque, e consilio et prudentia rei rusticae peritorum singulis in locis praesigendi videntur, qui optime seire possunt, quando gramina pastu perdantur. Non quidem habeo, quod rusticationis haud prorsus ignaris demonstrem, non posse in genere certum designari tempus, quo in campus crescere incipient herbae, quoque foenum debeat colligi. Pendet enim hoc temporis spatium a coeli temperie, terrarum calore naturali, aliisque rebus multis, quae nullibi fere sunt eadem. Quare exhibuerunt iam Romani rei rusticae scriptores praecpta, quando pro diuersa terrarum ratione pastu pecora sint prohibenda, prataque purganda.<sup>22)</sup> Atque vero est quam si-millimum, terminos illos vernali tempore in pratis constituisse finem pascendi, quoniam in legibus alias temporis aperti et operti nulla sit mentio. Nos vero, quamvis omni ex parte iuris Romani principia, quoad seruitutes hasce, sine adopriata, arque etiamnum constituent regulam in litibus diiudicandis, nihilominus incidimus in errorem, opinantes, seruitutem pascendi in pratis sola possessione vsque ad Calendas Maias posse extendi, hocque tempus quasi esse legitimum. Ille autem terminus, cum nulla lege nitatur, sed tantum valeat tanquam consuetudo a viris alias grauissimis, rusticationis proh dolor haud peritis, introducta, legitimam auctoritatem re vera non est consecutus. Constat enim inter omnes, consuetudinem, si pugnet cum legibus, nullum facere ius. Quare, cum usus pratorum eodem modo, ac agrorum cultura, sit res merae facultatis, dominans ius pascendi, quando nocet pratis, sola possessione defendere nequit, neque impedire potest dominum, quoniamus irriget prata, aut stercoretione fructuosa reddere studeat, nisi pastis aut praescriptione seruitutem negatiuam sit consecutus. Licet igitur quis fuerit in possessione iuris pascendi longioris aut perpetui, frustra tamen conqueritur de actibus pastui obnoxiiis, quos fundi do-

minus

<sup>22)</sup> Loca, quae hic pertinent, collegit clarissimus Spitznerus in libello, cuius frons titulum habet: *Die Zurücksetzung der schädlichen Spären Frühjahrshuebung auf den Wiesen, 1491.* in quo egregiam nostris practicit viam in detegenda illorum terminorum iniuria.

minus agriculturae intentus suscepit, cum prohibendi iure non gaudeat, aequitas vero, ut plus sit in dominio quam in seruitute, praecipiat. Accedit hoc insignis fauor, quo fruitur agriculturae exercitum, contraque iustum, quo leges persequuntur seruitutes, odium. Quare praecipit ius nostrum z) ut restringantur seruitutes, si dubius est earum ambitus, minimumque ii, quibus impositae sunt, sentiant damnum, etiamsi diserta constituta sint conventione. Si vero seruitutes interposito viriusque pacientis consensu enatae, coercendae sunt, quando magis aequitatis ratio est commendanda, vbi sola possessione sunt acquisitae? Cum itaque seruitute pascendi affirmativa gaudens non nisi in vacuo pascat agro, nulla vero lex dominum, ut agrum relinquit vacuum, compellat, nescio profecto, quo iure fundi culturam impediare trifoliumque aut alios fructus, peccoribus tritos, perdere conetur, cum non plus possit appetere, quam cui praescripsit, i. e. pastioni, si fundus est vacuus. Quae quidem pabula ipsi non erunt deneganda.

## §. II.

*Contra insuetam agrorum culturam male prouocatur ad regulam: quod seruiens in fundo suo nihil debeat suscipere, quo dominantis conditio reddatur deterior.*

Multos vero virosque doctissimos a) benignior sententia, qua dominis vindicatur ius libere colendi agros, maxime offendit, existimantes, huic regulae eam esse aduersam, qua constituitur, ne seruiens in fundo suo quicquam suscipiat, quo dominantis vilitas reddatur deterior aut impediatur. Tantum vero abest, ut ea norma nostrae sententiae possit obstare, ut hic potius, cum latior sit, quam quae legibus comprobetur, omni desiliatur vi verumque maneat, nullum

z) L. 6. C. de seruit. et aqua. L. 9. ff. de seruit. et. L. 26. ff. d. S. P. U.  
adde Carpz. P. II. Const. 41. def. 4.

a) vid. Kob. in Diff. de pascuis ad culturam non redigendis.

lum ex seruiture pascendi affirmatiua oriri ius, quo arbitrarius agro-  
rum cultus prohibeatur. Illae enim sanctiones,<sup>b)</sup> quibus seruiturum  
patroni superstruetam volunt suam sententiam, efficiunt quidem  
hoc, vt non liceat destruere atque mutare penitus praedium ser-  
viens, si ea mutatio seruitutem reddat plane inutilem sed ultra hoc  
ius extendi prorsus nequeunt. Ita quidem fundus contra ius mu-  
tatus videretur, si quando, vt legum verbis utar, vbi viae aut iti-  
neris constituta esset seruitus, ibi extruerentur aedificia, aut, quae  
par est ratio, si effodirentur in stagna et lacus, sepibusque circum-  
darentur fundi, qui passioni obnoxii fuissent. Permitunt contra  
leges Romanae non solum, vt dominus e re sua quemuis, vti boni  
patres familias solent, percipiat usum, quin iubent, vt seruitus in-  
determinate concessi, ciuiliter exerceatur. Ita quidem secundum  
Ius Romanum fundi dominus, pascua, licet nunquam antea culta  
fuerint, inuitio etiam dominante, recte ad culturam redigit, quo-  
niam tunc nullo modo expirat seruitus pascendi, sed tantum restrin-  
gitur ad usum ciuilem, i. e. ad tempus, quo, fructibus collectis,  
agri sunt vacui. Dabimus vero, quando rem e iuris Saxonici <sup>c)</sup>  
principiis perpendimus, veritatem mutationis in agris seruentibus no-  
tionem aliquantum latius patere, atque omnem cultum pascuorum,  
quae antea nunquam arata fuerunt, esse interdictum. Multa enim  
sunt, quae euincant, legislatorem nostrum eiusmodi pascuorum  
tantum rationem habuisse, dum locorum desertorum culturam propter  
seruitutem pascendi prohibuit. Primum enim amplector sententiam  
Hommelii <sup>d)</sup> docentis, hac lege mutationem soli per nouam cultu-  
ram imminentem tantum improbari. Quam interpretationem ipse  
confirmat legislator, dum in Constitutione prouocat ad deputato-  
rum, qui dicuntur, consensum, qui iuri Romano admodum dediti  
fuerant, et sine dubio in ea lege componenda veritatem tantum fundi  
seruentis mutationem, qualem I. R. habet, determinare voluerunt.

Sed

<sup>b)</sup> L. 9. ff. si seruit. vind. L. 13. ff. d. S.P.R.<sup>c)</sup> Conft. Elect. P. II. Conft. 41.<sup>d)</sup> Hommel. Rhaps. Opf. 34.

Sed profecto hoc pro soli mutatione haberi nequit, si ager, cui iam antea destinatus fuerat usui, intermissa aliquot annis cultura, ad eundem reuocatur. Quare lex nostra ad hoc tantum in cultorum agrorum genus pertinere videtur, qui nondum culti erant. Deinde rubri huius sanctionis verba: *e) Leiten in Acker verwandeln*, satis perspicue indicant, allatum supra genuinum eius esse sensum. Nam si ad omnes pertineret fundos steriles, necessario scribere debuisse legislator: *Leiten wieder anzubauen*. Denique et vilitatis publicae rationem habendam puto, quae iubet, ut quam minime multa bellorum et calamitatis vestigia maneat, vique bona diruta et infortunio disiecta restituantur. Vilitate enim publica, tanquam ratione legum remota et universalis, nihil honestius, nihil antiquius, nihil sanctius esse debet cum in serendis, tum in interpretandis legibus. Quam ob rem, si quaeritur de agris in cultis, qui vero arati iam fuerant, utrum denuo, inuitu dominante, coli possint? recte secundum ius quoque Saxonum affirmamus, neque eam regulam: ne reddas conditionem dominantis deteriorem, nouae eorum culturae adversari.

## S. III.

*Ob solum non usum non amittitur ius arandi agrum.*

At forte dixerit quisquam, longissimo tempore dominus fundi neque arauit neque conseuit agrum suum, cecidit igitur iure repetendi eiusdem fundi culturam, coque magis, quoniam nocua est dominanti. Sed faluum est ius domini fundi seruentis etiam ab haec parte. Pereunt quidem haec iura atque non utendo amittuntur, quae modo civili sunt acquisita, non vero ea, quae ex naturali

fluant

*e)* Illustris Wiefandii verba, quae in Obs. laudata extant, mea faciam.  
Sed ipsa, inquit, huius sanctionis inscriptio indicat, eam unice ad fundos, qui hucusque frumentis aliisque frugibus conserti haud sunt, pertinere.

fluunt libertate f) et a viris doctis res merae facultatis appellantur. Disquirendum igitur est conquisitus, quenaam sit res merae facultatis, ut appareat, ius colendi fundum ad eas referendum esse, neque eo dominum priuari, licet aliquot annis hoc studium non exercuerit. Ipsa vero rerum merae facultatis notio, cum pendeat ab eo, quod libertati naturali conueniat, explicata prius hac, facilissime instrui poterit. Proclive est intellectu, naturalis libertatis notionem e iuris naturae principiis arcessendam esse determinandamque, quoniam quaeritur, quod deinde modo obligandi quolibet, qui potest et accedere et abesse, liceat cum facere tum omittere. Ex ipsis vero illius doctrinae placitis, neminem, spero, fore aduersarium affirmanti: facultatem faciendi ea, quibus alii non laedantur, libertate naturali contineri, omnibusque esse vindicandam. Quia potestate a natura cuiilibet tributa cum res merae facultatis nitantur, g) consequi mihi visus sum, eas eiusmodi esse res, quibus neque exercendis neque omittendis alii laedantur. De singulis vero rebus differere, quae accensantur recte rebus merae facultatis ab aliis, ab aliis vero iniuria huc fuerint relatae, cum huius loci non est, tum multi h) ex instituto eam rem disquisierunt. Satius videtur, exposita modo principia ad causam praesentem transferre, ut inde intelligatur, vtrum fundi cultura sit res merae facultatis. Ex ipso dominio iam habet quilibet,

C 2

alios

f) vid. L. 2. ff. de via publ. L. 45. ff. de usurpat. et Accursum ad hanc legem. Hommel. Rhaps. Obs. 33.

g) Dissentit Leyserus in Med. ad ff. spec. 462. med. I. dum opponit, etiam e legibus positivis fluere res merae facultatis, sed virum maxime merito auctoritatis hac in re sequi vereor. Lege enim permissiva, eti lata est in certa tantum ciuitate aut adeo societate parva, naturalis libertas nullo modo tollitur, neque ex alio legis genere res merae facultatis prodeunt. Nam Modestino teste in l. 7. ff. de legib. virtus legis haec est, imperare, vetare, permittere, punire. Quocunque earum genere, si discesseris a lege permissiva, liberum adentum est arbitrium.

h) vid. Hommel. Rhaps. Obs. 33. Cocceji in diff. de rebus merae facultatis. Leyf. Med. ad ff. spec. 462. med. 8 seq.

alios a re sua excludendi remouendique naturalem potestatem. Quod ins, si neque lege aliqua, neque conventione est restrictum sublatum-  
ve, haud scio, quomodo liber fundi sui vſus possit quemquam lae-  
dere. Si itaque nullius interest, coli fundum, aut colentis vacare  
opera, si potius iure suo cuiuslibet fundi domino propria est haec  
potestas, si denique efficit adeo partem dominii; ipſe etiam agro-  
rum cultus rebus merae facultatis recte annumeretur, necesse est.  
Quod si verum est hoc, verum etiam illud, quod solo non vſu nun-  
quam praescribatur iuri fundo suo rursus obducendi aratrum colen-  
dique eum, quoevere modo et quibusunque fructibus placuerit.

## §. IV.

*Seruitus pascendi affirmativa nullum tribuit ius prohibendi agrorum culturam.*

Sunt denique, qui existiment, *i)* cuilibet seruitui pascendi iam  
inessere ius prohibendi agriculturam. Necio vero, qua ratione eo-  
rum sententia possit defendi. Propria enim est seruitutis affirmati-  
vae cuiuslibet virrus, ut fieri aliquid patiatur seruiens, nequaquam  
vero, ut omittere debeat ipſe quidquam, quod libertate naturali  
nittitur. Sed Toepferus, quem modo laudauit, putat, seruitutem  
pascendi in omnibus agris inculcis acquisitam partim e principiis  
seruituum affirmatiuarum, esse aestimandam, partim negatiuae in-  
duere naturam. Cui quidem opinioni congruit definitio sua, quam  
hīs verbis suppeditat: *est seruitus rustica negatiua, vi cuius fundi domi-  
nius commodo alieni praedii vel vicini certos agros colere vel mutare ob eti-  
litatem pascendi, vel conseruandorum ouiliariorum causa, prohibetur.* Huic  
vero seruitui negatiuae sola possessione et temporis lapsu praescribi,  
contendit, ideoque affirmatiuae simul indolem retinere. Sed faten-  
dum ingenue, rationes, quibus opinionem suam niti voluerit, mihi  
non satisfacere. Primum prouocat ad nostram Constitutionem, qua,  
*conten-*

*i)* vid. Toepferus de seruitute rustica agrorum in cultorum culturam pro-  
hibente, Lips. 1742.

contendit, nouo interdici quemlibet cultu agrorum, quibus seruitus pascendi inhaereat, atque inde ius prohibendi perit. Ea tamen lex, cum, vti nobis ex argumentis probabilibus visum est, minime de agris aruisque, sed de pascuis antea nondum cultis praecipiat, ad conformandam sententiam suam apia non est. Alia vtitur ratione, quae nescio, an priori multo plus efficaciter. Signis enim prohibitoris, durch Hegerwische, ait, impediendum esse dominantem a praedii seruentis domino, quominus agat pecus in agros nouales, qui inculti reliqui sunt. Etenim, addit, qui huius cautionis curram non habeat, iure suo agrum denuo colendi destitui. Sed istud ipsum, signa prohibitoria exponere, nonne res est merae facultatis, cui omissione atque non utendo nunquam praescribitur? Quin etiam, si eiusmodi signa exposuister fundi dominus, et quisquam, iis sprevis, nihilominus pauerit pecora sua, ius prohibendi inde confutus videatur, modo quiete postea continuauerit passionem per spatium lege praefinitum. Itaque cum vitrumque, et signa prohibitoria agris apponere, ei proscindere agrum, sit res merae facultatis, illius intermissione non maius in dominum redundare debet damnum, quam quod agros ipsos aliquamdiu incultos reliquerit. Quibus aduersariorum argumentis excusis, cadere etiam videtur Eisenharti k) aliorumque sententia, qui, freti illorum virorum auctoritate, putant, ob servitutem pascendi veritatem esse agrorum defectorum cultaram.

### §. V.

*Vtilitas, quae ex accurata iuris pascendi distinctione in rem communem manat, indicatur.*

Negandum non est, oeconomiae studium nouam nostra aetate induere formam. Ex quo enim tempore viri physicarum rerum praecepitis bene instructi rusticationi operam dederunt, illud Varronis l) effatum: nos utrumque facere debemus, et imitari alios, et, alter ut faciamus, experientia tentare quaedam, iterum coli coepit, cum

C 3

prio-

k) vid. Inst. Iur. Germ. lib. II. Tit. VI. §. 8.  
l) de re rustica Lib. I. cap. 18.

priores agricultae tantum maiores suos imitarentur. Experientia igitur edocti probe intellexerunt prudentissimi oeconomi, requiere nulla indigere *mj* agrum, neque cessante cultu maioribus roborari viribus, sed quo magis et saepius colatur, eo fertiliorem fructuoseremque fieri. Illud vero dolebant, quod pascendi in agris seruitutes legibus nimis iuuarentur, quodque duro hoc iure ademta esset dominis potestas, agros nouales herbis pabularibus conferendi. Sed iniuriam probi viri fecerunt legibus nostris. Maxima enim pars earum seruitutum, quae apud nos inherent agris, affirmatiuae sunt, propter quas ex legum rationibus et iuris analogia domini nullo carent fructu, qui capi potest ex agrorum cultura. Modo igitur accurate causa domini seruentis exponatur, modo persistant causarum patroni in eo seruitutum discriminare, atque, affirmatiuem tantum seruenti praedio inherere seruitutem, probent, profecto non habebunt, quo accusent legum iniustitiam et duritatem.

Non minus vero damnum, ob incertitudinem iuris e seruitute pascendi competentis, rei rusticae inflatum est, eo, quod terras multas, quae a bello tricennali nondum sunt aratae atque ad usum traductae, ob solam seruitatem pascendi affirmatiuem, colere non audeant earum domini. Sed hi non minus falluntur iis, qui in agris noualibus arbitrium colentis per ius pascendi affirmatiuum, exclusum esse opinantur.

### C A P. III.

Quae sit seruitutis pascendi negatiuae vis ad praedii seruentis culturam, perquiritur.

Venio nunc ad alteram quaestionem, quae agit de iure domini agriculturam suscipientis in fundo seruente, cui ius pascendi negatiuum impositum est, priore longe faciliorum. Etenim omnia hic sunt satis rura munitaque, quoniam rationes adsunt satis firmae, quibus hic ius prohibendi vindicemus dominanii. Negatiuum enim seruitutem pascendi diximus eam, qua fundi seruentis dominus *omittit*.

*mj* vid. Diff. beati Liskii de agri noualis cultura, Lipf. 1778.

omittere aliquid debet, quo ipsa fertitius melius exerceatur. Factio  
le est ad iudicandum, hanc seruitutem cum agrorum cultura pu-  
gnare, dominumque ab ea desistere debere, si usus per hoc ius domi-  
nanti concessus cultu agrorum impeditur. Ex ipsa quoque seruitutem  
negatiuarum acquisitione iustitia iuris prohibendi eluet. Nam,  
si conuentione constitutas sunt haec seruitutes, quis potest  
dubitare, quin suum quisque ius, et ita quoque fundum colendi  
facultatem recte alienare possit; si vero e praescriptione obtinent,  
cum a parte acquirentis prohibitione opus sit, et ab amittente ac-  
quiescentia in ea prohibitione requiratur, nullam quoque video in-  
iuriam, quoniam qui tacet, cum loqui debeat, consentire videtur,  
quando magis ille, qui tam dia exclusus a rei suae usu non contra-  
dixit. Nullus igitur dubito, quin ea regula: nihil esse in agro su-  
ficiendum, quo dominantis conditio reddatur deterior, quae mea  
quidem opinione minus commode in affirmatiuis seruitutibus ad-  
bibetur, hic locum inueniar, quodque omnis cultura huic aduersa  
illicta sit et ex legum principiis interdicenda.

Cum iam egisset de re, quae tam prope accedit ad publicam  
salutem, non potui a me impetrare, ut tacerem spem, quae me  
impleret totum alitque, iucundissimam, fore, ut illustres, patriaeque  
amantissimi viri, quibus, de quo omnes boni ciues impense laetan-  
tur, contigit regiminis tenere gubernacula, viam ingrediantur, quam  
iam praeinit laudatissimus princeps, et seruitutes agriculturae damno-  
fas edicto publico mutari, iubent. Quod ubi carissimae patriae  
ornamenta illa efficerint, quanta apud omnes gloria valebunt, quan-  
ta boni cuiusvis laude celebrabuntur, quantaque tandem eorum  
omnium, quorum res misera seruitute oppressae iacent, gratiae  
piaeque preces illos expectabunt. Operant enim hi omnes, ne res,  
qua, teste Cicerone, n) omnium, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est  
melius, nihil uberior, nihil dulcior, nihil homine, nihil libero dignius, ne  
ea res opprimatur diutius et tristissimum illud: non plus ultra, studium  
omne colentium perdat et industriam omnem atque sedulitatem.

n) de officiis lib. I. Cap. 4r.

VIRO

V I R O  
H U M A N I S S I M O  
F R I D E R I C O   S A M V E L   K A E M P F F E  
S. P. D.  
C H R I S T. C A R. S T V E B E L.

Prodi igitur mecum in cathedram, *Vir Ornatussime*, quem ante sex annos, cum adhuc in schola versarer, condiscipulum carissimum habui; qui per triennium, et quod excurrit, in academia talem Te praestitisti, ut mihi aliquisque, ad quos Tui cognitio peruenit, probareris; in cuius adeo confuetudine per huius actus opportunitatem mirifice mibi placebo, prodi inquam mecum, quibusque literis eximias ingenii animique Tui dotes auxeris, publice ostendas. Evidem libellum, quem mibi tradidisti, magna cum voluptate perlegi, quippe et studii in philosophia atque iurisprudentia addiscenda laudabiliter consumti luculentus est testis, nec utilitate atque in re oeconomica vsu carere censendus est, Tibique ita eum reddo, ut in fronte auctoris nomen minime mentiatur. Mihi quidem de re ipsa, quam proposonis persuasum est, et ea, quae in singulis locis aliter forsitan scripsisse, mutare nolui, ut specimen, quantum quantum sit, Tuum nomen merito gerat, neque, quod ipse olim aegre ferebam, auctori obrudantur aliorum sententiae. Iudicet in primis de hoc libello EBERTVS NOSTER, quem nos vtrique ob multas causas magnopere veneramus, iudicent fratres Tui parentum loco de Te hucusque meriti, quos honoris causa nomino, Teque in posterum amore fraterno, et cura paterna amplectantur. Ceterum laetus semper felicitate Tua, atque, ut me amicitia Tua prosequi et amare pergas et cupio, et maiorem in modum rogo.

Scriptum in Academia Vitebergica, d. IV. Oct. ccccxxv.

Wittenberg, Diss., 1791



f

sb.



# Farbkarte #13

